



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum I. Decretalium, Per quadraginta, & tres Titulos distributum, in  
quo agitur De Constitutionibus, Seu Legibus universim ...

**Krimer, Ferdinand**

**Augustæ Vindelicorum, 1706**

Articulus VI. De pæna transferentium se, vel transeuntium ad aliam  
Ecclesiam propria autoritate.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73031)

## ARTICULUS VI.

De pena transferentium se, vel transeuntium ad aliam Ecclesiam propria auctoritate.

2052. **A**D 1. de se transferentium poena. R. Patriarcham, qui secluso mandato summi Pontificis, transfert Archi-Episcopum confirmatum (vel etiam Episcopum) ad aliam Ecclesiam, suspendi à munere confirmandi suos Suffraganeos, c. 1. h. tit. ubi Innocentius III. Patriarcham Antiochenum, quod Lucium Apamensem, electum Archi-Episcopum, ad Tripolitana Ecclesiam, transtulerit, atque ex Archi-Episcopo Episcopum constituere praesumpserit, ab Episcoporum confirmatione suspendit, sic Barbosa *ibid.* n. 1.

2053. Ad 2. de transeuntium poenâ. Resp. Episcopum, vel eo majorem, propria auctoritate transeuntem ad aliam Ecclesiam, utraque privari, c. quanto 3. h. t. ubi, quod Episcopus Hildesheimensis, suâ Ecclesiâ desertâ, ad Herbipolensem propria auctoritate se transtulerit, ei praecipitur, ut Ecclesiâ Herbipolensis administrationem penitus derelinquat, & ad Hildesheimensem, quam improbè dereliquit, redire non permittatur: quia secundum Sacros Canones, qui ad Ecclesiam, praesertim majorem, aut ditiolem (adeoque cupiditate honoris vel divitiarum) se transtulit, utrâque carere debet (saltem post Judicis sententiam) neque enim plus colligitur ex c. si quis Episcopus, 31. causa 7. quest. 1. Canonici verò Ecclesiâ Herbipolensis, qui suffragia sua in dictum Episcopum contulerunt eligendo, à potestate eligendi, pro ea vice, suspenduntur: ut in eo ipso puniantur, in quo peccaverunt.

2054. Si autem alij Praelati, Episcopis inferiores, sua auctoritate ad aliam Ecclesiam transeant, privantur communione tamdiu, donec ad priorem redeant, & si alius in illis eadem substitutus sit, tamdiu vacare debent à priori officio, vel beneficio prioris Ecclesiâ, quamdiu substituti vivant; sic habetur in c. Si quis Presbyter, 7. q. 1. quod desumptum est ex CC. Antiocheno, ibi: Si quis Presbyter, vel Diaconus, vel

quilibet Clericus, desertâ suâ Ecclesiâ ad aliam transeundum esse crediderit, & ibi paulatim tenet, quod migravit, perpetuo manere, ulterius ministrare, non debet; praesertim, si ab Episcopo suo ad revertendum fuerit exhortatus. Quod si post evocationem sui Episcopi non obediêrit, sed inobediens perseveraverit, omni modo ab officio suo deponi debere, nec aliquando spem restitutionis habere; & c. Eos Sacerdotes, ead. causâ, & quest. ubi Damasus scribens ad Paulinum Antiochenum, eos Sacerdotes, inquit, qui ab Ecclesijs ad Ecclesias migrârunt, tamdiu à nostra communione habemus alienos, quamdiu ad eas non redierint civitates; in quibus primitus sunt constituti. Quod, si quis alius, alio transmigrante, in locum viventis ordinatus est, tamdiu vacet sacerdotij dignitate, qui suam deseruit civitatem, donec successor ejus quiescat in Domino.

2055. Caterum, Episcopus, etiam invitus, à sua Ecclesia per Pontificem separari potest, ut eâ careat; non tamen applicari novæ per spirituale matrimonium, sine suo consensu L. cum inter, de elect. ibi: ut per mutuum consensum; cogi tamen potest per censuras ad consentiendum, id exigente, vel necessitate, vel utilitate Ecclesiâ, c. Scias, 7. q. 1. ubi Pelagius II. Benigno Archiepiscopo scribens, scias, inquit, frater dilectissime, aliud esse causam necessitatis, & utilitatis; aliud causam praesumptionis, ac propriae voluntatis. Non ergo mutat sedem, qui non mutat mentem, id est, qui non causâ avaritiæ, aut dominationis, aut propriae voluntatis, vel suæ delectationis, migrat, de civitate ad civitatē; sed causâ necessitatis, aut utilitatis mutatur. Nam plurimorum utilitas unius utilitati, aut voluntati preferenda est. Aliud est enim, mutare; & aliud, mutari. Nam aliud est spontè transire; & aliud est, coactè, aut necessitate venire. Unde non isti mutant civitates, sed mutantur: quia non spontè, sed coactè hoc agunt. Non ergo bene intelligunt Ecclesiasticas regulas, qui hoc negant causâ necessitatis, vel utilitatis fieri posse, quoties communis utilitas, aut necessitas persuaferit.

